Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31713
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

mundi domina uocabatur qualis remanserit roma conspicitis. immensis do-
loribus multipliciter attrita desolatione ciuium. impressione hostium.
frequentia ruinarum. ita ut in ea completum esse uideamus. quod contra urbem Sa-
mariam per hunc eundem prophetam longe superius dicitur. Pone ollam. pone inquam.
et mitte in eam aquam. et congere frusta eius in eam. Et paulo post. Efferbu-
it coctio eius. et discocta sunt ossa eius in medio eius. Atque iterum. Congere
ossa eius que igne succendam. consumentur carnes. et coquetur uniuersa
compositio. et ossa tabescent. Pone quoque eam super prunas uacuam. ut inca-
lescat et liquefiat es eius. Tunc enim nobis olla posita est. cum hec est ciui-
tas constituta. Tunc in eam aqua missa est. et frusta eius congesta sunt. quando ad eam
undique populi confluebant. & uelut aqua calens actionibus mundi fer-
uescerent. et quasi frusta carnium in ipso suo feruore liquerent.
De qua bene dicitur. Efferbuit coctio eius. et decocta sunt ossa eius in medio eius.
Quia prius quidem in ea uehementer incaluit actio glorie secularis. sed postmodum
ipsa gloria cum suis sequacibus defecit. Ossa etenim potentes seculi. per car-
nes uero populi designantur. quia sicut carnes ab ossibus portantur. ita per
potentes seculi infirmitas regitur populorum. Sed ecce iam de illa omnes huius
seculi potentes ablati sunt. Ossa ergo eius excocta sunt. ecce populi defecerunt. car-
nes eius liquefacte sunt. Dicatur itaque. Congere ossa que igni succendam.
consumentur carnes. et coquetur uniuersa compositio eius. et ossa tabescent.
Ubi enim senatus. ubi iam populus. Contabuerunt ossa. consumpte sunt carnes. Omnis
in ea secularium dignitatum ordo extinctus est. excocta est uniuersa compo-
sitio eius. et tamen nos ipsos paucos qui remansimus adhuc cotidie gla-
dii. adhuc cotidie innumere tribulationes premunt. Dicatur
ergo. Pone eam super prunas uacuam. Quia enim senatus deest. populus interiit.
et tamen in paucis qui sunt dolores et gemitus multiplicantur. iam uacua
ardet roma. Sed quid autem ista de hominibus dicimus. cum ruinis crebre-
scentibus ipsa edificia quoque destrui uideamus. Unde iam apte de ciui-
tate